50019/P

CAROLI STRACK

MED. DOCT. ET IN UNIVERSIT. MOGUNT. PRAXEOS MED. ET COLL. CLIN. PROF. P. O., EMINENT AC CELS. PRINC. ELECT. MOG. CONSIL. AUL. ET REGIM. ELECT. UTIL. SCIENT. ACADEM. ERFORD. REGIAE. SOCIET. MEDIC. PARIS. ET PRINC. HASSIACAE SOCIET. ACADEM. GIESEN. SOCII

DISSERTATIO DE CATARRHO EPIDEMICO ANNI 1782.



TICINI, ex Typographia Reg. et Imp. Monasterii S. Salvatoris,
Praesidib. rei litter. permittentibus.
MDCCXC.

Eum vero recte curaturum, quem prima origo causae non fefellerit. (*a*)

(*a*) A. C. CELSUS de Med. in Praefat.



PRAEFATIO.

QUando novus aliquis morbus inter populum grassari incipit; vel idem ex antiquis iterum post hominum memoriam resurgit, protinus tunc atramentum abundat; scribendi animus luxuriat; intenduntur faciles scriptorum servi, digiti; gemunt concitati calami; insons charta patitur; pervolat timidam plebem fatalis rumor metum spargens; pervagantur pavidum vulgus incertae novellae publicae; superveniunt medicorum libri festinanter scripti; sequitur tarda veritas. Idem anno 1782 obtinuit: quo tempore popu-

laris quidam Catarrhus omnes fere Europae gentes corripuit simul et medicorum ingenium exercuit, atque sine mora scriptorum calamum detrivit, docte indocteque. Inter quos laudabiles tantum hic memorabo.

Ego ad istos quidem Auctores etsi postremus accedam, tamen spero, fore, ut in his certius quid afferam. Siquidem, anno 1770. cum idem fere morbus in civitate Moguntina, etsi non universus tamen popularis fuisset, satis profecto opportunam occasionem (qua cum utilitate fruebar) nactus sum; ejus cum causam pervestigandi, tum genium decursumque perdiscendi. Qua attentione utique non impar eveni, imposterum eundem, quandoquidem ipse rursum incidit, ocius cognoscendo: scilicet in qua notitia omnis curationis cardo vertebatur.

Ante omnia autem nosse interest; quod neuter istorum morborum suam cuique propriam formam

reti-

retinuerit; sed contra, quod uterque alienam alterius cujuspiam morbi larvam induerit; sub qua medicos vehementer fefellit. Hanc larvam detrahere et, cuius generis morbus ipse sit, palam ostendere, visum operae pretium est.

Ut id exequar, de illo morbo ante dicam, qui similiter anno 1770 grassabatur: deinde ad eum veniam, qui imposterum anno 1782. omnem fere Europam perinde occupavit. Usus his, quae me Experientia in istius morbi curationibus utrinque docuit; omnino multa eademque.

Itaque initio mensis Martii, anno 1770. Catarrhus multos simul homines in civitate Moguntina prehendit, cum Coryza, Angina, acerba Tussi, et magna Febre. Morbus, etiam cum adhibitis communibus remediis, diu traxit. Non pauci absque ratione passi recidivam sunt. Nonnullis exulcerata oris labia sunt: per ista ulcera minutus quidem, at

non expunctus morbus est. Sputum puriforme, etiam quod aegri liberaliter ejecerunt, necquicquam juvit: juvit vero sudor largus acidum odorem spirans; urinaque turbida, quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Si ista crisis non contigit, cortex peruvianus sanitatem restituit. Istorum aegrorum aliqui post duos dies in Pleuritidem veram absque manifesta ratione deciderunt, alii in febrim intermittentem. Utrosque juvit Cortex peruvianus.

His (exempli causa) praemonitis ad posterum hunc morbum transcendo, qui nuper, anno 1782. totam fere Europam pervagatus vix hominem contagii expertem reliquit.

DE CATARRHO EPIDEMICO ANNI 1782.

INitio Veris anni 1782. ortus in Septentrione morbus est, qui Petropoli *Influenzae* nomen accepit, per Livoniam, Curlandiam Borussiamque vagatus Berolinum venit: *a*) inde Dresdam ivit, Dresda Lipsiam, Lipsia Francofurtum ad moenum, proxime et Moguntiam: sicque undique progressus denique omnem Germaniam occupavit, et procul inde confinia Regna penetravit. Londini, mense Majo, cives quosque prehendit, exceptis paucis senibus. *b*) Nostrates morbum septentrio-

a) Beytrag zur geschichte der Frühlings-Epidemie im Iahre 1782. von I. D Metzeger. koenigsberg.

b) Observations on the late Influenza. by William Grant.

trionalem nominabant. *a*) Is a medio mense Majo ad Junii exitum usque civitatem moguntinam pervagatus omnem infecit: nulla domus vitii expers mansit, vix hominum ullus impunis erat, familiares omnes perinde malehabebat. Rusticos fere omnes morbus transeundo corripuit. Crevit quotidie ingens aegrorum caterva: quos inter ego initio eram non ignarus mali.

Morbus autem ipse diversas formas habuit, prout miasma epidemicum (quod, cujus generis sit, infra dicam) diversis corporis visceribus insedit. Vulgares autem et maxime communes ejus notae potissimum hae erant. Membrorum torpor, nullum edendi desiderium, vesperi horror, calor post, totum corpus veluti ex fatigatione lassum, dolor capitis et oculorum, gravedo, faucium aliquis dolor, tussis, quae non nisi cruda excussit. Haec vesperi exacerbata sunt. Arteriarum pulsus frequens, plenus, subdurus erat.

Qui aegri ita habebant, neque esu neque potu luxuriabantur; sed domi valetudinem curantes potum tepidum cum oxymelle sumebant, hi brevi tempore maxime sic convaluerunt: nempe erupit ad exitum tertii diei ex horum universa cute liberalis sudor, et urina turbida evenit, quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Uterque iste exi-

---

a) Die Nordische Krankheit.

exitus et febris et miasmatis crisis erat; necquicquam vero materiae, quam febris interea confecerat, et intus reliquit.

Finita febre per convalescentiam (intra quam vires magis, quam per morbum consistunt) cocta sputa sunt, qualia aegri facile ejecerunt. Erat ista crisis materiae, quam febris ante coëgerat, et quam imposterum vitae vires concoxerunt. Hanc materiam glutinosa sanguinis pars (Serum vocant) tribuebat, quam febris suo ardore coëgit et veluti adussit, nempe quae crustam supra missum sanguinem ostendit. Istius materiae coctae alii multum et diu expectorârunt, alii parum et brevi tempore. Utique qui sani Sero abundabant, plus post istum morbum ita ejecerunt, quam qui parum Seri habebant.

Alii sibi ipsis consulentes protinus, ut se morbo affectos persensissent, medicamenta sudorifica assumserunt, corpusque multis vestimentis operuerunt; scilicet ut his magnus excitetur sudor, qui morbum excuteret. Id saepe successit, aegrique intra paucos dies absque tussi et sine sputo convaluerunt. Sic enim crudum miasma aegri, quod proxime acceperant, ante excusserunt, quam id sanguinem inflammavit, febremque accendit. Ob eandem rationem alii, quorum labia altero vel tertio die exulcerata sunt, item absque tussi et sine sputo protinus convaluerunt: scilicet quoniam miasma adhuc crudum ante ad labia translatum est, quam idem sanguinem corrupit. Erat ista altera

mias-

miasmatis crisis: similis illi, quae in febribus intermittentibus quandoque contingit, et modo perfecta modo imperfecta est.

Atque ista quidem curatio intra magnam aegrorum turbam saepe successit. Ob quem successum aliqui medicorum venae sectionem in isto quidem morbo tanquam damnosam aversabantur: sive quod propter talem morbi exitum sanguinem mittere perniciosum putarint, sive quoniam existimant in universum nulli Catarrho sanguinis missionem convenire. Utcunque sit: tamen ego, cum primus sanguinem e mea vena misissem, primus culpabar. Cum autem diversa catarrhi genera sint, eidemque diversae circumstantiae adesse possint et saepe adsint; utique existimo, diversa remedia eidem opponi debere: inter quae venaesectio, si inflammatio subest, praecipuum praesidium est. Veluti ubi istius morbi miasma sive thoracis sive abdominis quodpiam viscus occupavit.

Me torpor prehendit, deinde totum corpus lassum fuit, doluit caput, horripulationes vagae erant, accessit vesperi magnum frigus, quod secutus intentus calor est, perturbatae noctes erant et deliriosa somnia: similis quotidie accessio, ciborum nausea erat, sitis ingens, arteriarum pulsus frequens et durus; urina rubra, gravedo, et tussis acerba, quae nihil emolita est. Acerbus dolor per totam asperam arteriam ejusque bifurcationem erat: pulmo inflammationis et doloris expers liberam respirationem concessit. Expiratus aër fervens erat: sanguis

e

e vena missus crustam inflammatoriam habuit.

Cibus cremor ptisanae acidulus erat, potus decoctum refrigerans adjecto nitro, aceto uini destillato, et syrupo rubi idaei, medicamentum vero julapium refrigerans.

A medio die quinto ad ejus exitum usque multus sudor calidus viscidus, acidum odorem spirans, ex universo corpore erupit. Urina turbida evenit, et sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Per sextum diem similis quidem sudor erupit, copia tamen minor. At a medio septimo item die ad ejus exitum usque quamplurimus talis rursum sudor erupit, simul et urina sedimentum lateri trito simile praecipitavit.

Atque sic febris esse desiit. Fuit itaque iste sudor et haec urina crisis, per quam miasma, quod ante per febrim ipsam alteratum coctumque erat, exiit.

Excussa, sive naturae beneficio sive medicinae auxilio, febre requies erat: proximeque intra convalescentiam commoda tussis evenit, per quam sputa cocta rotunda ejeci, quae non puriformia, sed cerae albae semiliquefactae similia erant. Provenerunt autem ista sputa a Sero (mucosa sanguinis parte) quod febris, quam miasma excitaverat, suo calore ante coëgit, deindeque intra convalescentiam per majores utique corporis vires coctum et postremo tussi expulsum est. Eratque ista Expectoratio non febris quidem crisis, sed crustae, quam febris ipsa in sanguine ante confecerat et reliquit.

Non

Non secus, ac ego, hi habebant, in quorum latus miasma decidebat, in eodemque Pleuritidem excitabat. Horum sanguis, si e vena missus refriguit, crustam inflammatoriam habebat: iidemque, si ad exitum quinti septimique diei similiter sudabant, et postea urinam reddebant, quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit, similiter a morbo revenerunt; et intra convalescentiam tale sputum coctum album item facile rejecerunt.

Qui vero neque quinto neque septimo (scilicet imparibus diebus) ita sudarunt, neque iisdem diebus urinam turbidam cum sedimento lateri trito simili acceperunt; eorum morbus in longum tempus traxit; curatu difficilis erat, sputa diu cruda manserunt, et tussis acerba. Utique quoniam miasma in horum corpore per febrim non satis tritum, alteratum, coctumque est. Ob quam rationem febris ita moderanda erat; ut ea non excedat, ne noceat; neque torpeat, ut non adjuvet; sed debebat tantum ex ea relinqui, quantum satis erat, et ad coquendum miasma, et ad coctum potenter eliminandum. — Febris enim ipsa saepe medicinae est.

Alii, in quorum pulmonem miasma praecipitavit se, passi Peripneumoniam sunt. Hi, si pari curandi ratione habebantur, et easdem crises imparibus diebus, nempe quinto septimoque accipiebant, proxime evenerunt: deindeque per convalescentiam sputa cocta ejecerunt. Si vero has crises non habuerunt, longum tempus tussiendo traxerunt

et

et cruda ejecerunt: utique quoniam miasma non perfecte coctum rectoque tempore ejectum est; sed aliquae ejus reliquiae intus manserunt.

Pejor morbus et exitio plenus erat, quando istud miasma in aliquod infimi ventris viscus se conjecit. Siquidem inflammatio, si ea ibi locorum residet, periculo et magis plena et potius prona in gangraenam est, quam quae externis corporis partibus inhaeret. Adde, quod infimae istius cavitatis viscera magnam cum diversis aliis corporis partibus necessitudinem habeant, ob quarum consensum, siqua laesio incidat, caeterorum viscerum functiones turbantur, morbi materia vel non, vel male, vel tarde coquitur: retinentur ea, quae sive secerni sive excerni debuissent; sicque pejor ipse morbus fit. Si tale vitium in mulierum, quae fluxui menstruo proximae sunt, ventrem incidat et sanguis non prorumpat; morbus male complicatur, ejusdemque signa confunduntur. In tali confusionis circumstantia recte dijudicare salus aegrotantis est.

Intra hanc istius epidemiae constitutionem duas ita affectas mulieres accepi, quarum altera 45 altera 36 anno saetate habebat; et in quarum hepate miasma suum inflammationis focum deposuit. Initium cum frigore erat; secutus ardor est; vomendi desiderium; vomitus ipse, extrema omnium ciborum nausea, saepe animo linquebantur; et quoties animus revenisset, arteriarum pulsus frequens et, in diastole, celer erat. Universa corpo-

ris

ris cutis subflava erat; flavum etiam id, quod in oculis album esse debet: urina bile remixta erat. In genis maculae profunde rubrae, sex lineas latae, extabant. Lingua arida erat, et sitis inextinguibilis; abdomen tumidum. Intercurrebant exacerbationes vagae.

Venaesectiones moderatae, Enemata ex sero lactis ammisto nitro et melle, decocta refrigerantia atque julapia adjecto multo extracto corticis peruviani utrasque eripuerunt. Ipsae vero mulieres longum deinde convalescentiae tempus traxerunt. Nec mirum; quoniam ita affecta corpora morbus extreme contriverat.

Pestiferum erat, si iste morbus in puerperium incidit, ejusdemque miasma abdomen occupavit. Rumor erat, quod serenissima princeps foemina de M —— g, cum ea septem menses gravida fuisset, ita malehabuerit. Abortum fecit; et proxime extincta est.

In tali morbi complicatione et circumstantiarum conventu debet medicus, si artifex est, praenosse; quid metuendum sit: et tunc protinus adhibito recto auxilio periculum, quod imminet, cavere. Etenim tertio post partum die cum febris excitetur, intra quam lac ad mammas venire debet, utraque febris, altera morbi altera lactis, convenit; et ambae conjunguntur. Inde calor vehementer exardescit; supervenit delirium, deficit lac, cohibentur Lochia, perturbantur viscerum in abdomine tam secretiones quam excre-

cre-

cretiones, inflammatur uterus intestinave, intumet abdomen, sequitur gangraena, quae aegram jugulat. Salus in cortice peruviano est; quo corpus ante muniri debet, quam gangraena instat. In mora enim periculum est. Sic duas tales puerperas servavi, quarum una pro exemplo sufficiat.

Anno 1782. die 4 Junii juvenis mulier quartum foetum gestans et partui proxima epidemico Catarrho affecta est. Corpus torpidum, membraque lassa habuit, caput grave, dolentes oculos, horrores vagos, intermedium calorem, arteriarum pulsum frequentem, noctem inquietam, deinde gravedinem.

Postero die aegra pejus habuit, febris vesperi exacerbata est, frigus duarum horarum, calor ardens post: intra istum calorem abdomen tensum est, doluitque; arteriarum pulsus frequens et durus erat, ciborum nausea et sitis multa, tussis acerba.

Missus e brachii vena sanguis est, imperata diaeta tenuis, praestitum julapium refrigerans, et decoctum adjecto nitro cum aceto vini destillato et syrupo rubi idaei. Inditum item Enema ex Sero lactis cum nitro et melle. Postero die mulier prolem enixa est: lochia parum fluebant; deinde per febris ardorem cohibita ipsa lochia sunt. Ob quem defectum quoniam lactis febrim, quae tertio die accessura esset, pejorem metuebam, superioribus remediis extractum corticis peruviani ammiscui, ex quo mulier unciam quotidie assumat. Tertio die magis intenta

tenta febris est; tussis magis praessit; non venit ad ubera lac; totum corpus siccum aridumque erat.

Interea extractum corticis cum refrigerantibus auxiliis continenter offerri jussi; sicque aegram eripui. Superato morbo lochia, veluti a recenti partu profluxerunt; lacte impleta ubera sunt, urina liberaliter potui respondit; alvus aperta est, rediit edendi desiderium, tussis facilis evenit, sputa cocta commode exierunt; omnesque corporis functiones restitutae sunt. Imposterum mulier prospere habuit.

Si catarrhus epidemicus in corpus incidit, quod chronicus quidam morbus ante vitiaverat, duplicia signa convenerunt, altera a catarrho altera a vitio chronico: quae recte dijudicare medici refert, et aegro perutile est.

Senex Mercator, per annuas accessiones podagricus epidemico catarrho correptus est, intraque eum male quidem, ut caeteri aegri, habebat; tamen insuper aliena signa retinuit, diversasque passus vexas est, quae eum aliter et diu excruciabant. Perturbatus somnus erat, sudor vagus, incerto tempore erumpens, erroneus, tenuis, aquosus, non proficiens. Tussis aspera, non statuto tempore insurgens, sputum crudum, aquosum, spumans, filum trahens. Urina tenuis, aquosa, cruda, nihil memoratu dignum continens. Ita senex longo tempore inutiliter fatigatus postremo amissis carnibus extenuatus est. Utique hae turbae excitatae a materia podagrica erant,

erant, quam catarrhi febris excitaverat.

Postremo materia podagrica in dextrum pedem praecipitavit se, in eodemque et acutum dolorem et rubrum tumorem excitavit, Excusso trans istum pedem vitio chronico sudor calidus viscidus erupit, urina sedimentum crassum, lateri trito simile praecipitavit: posteaque intra convalescentiam coctum sputum est, quod deinde album, veluti liquefacta cera, facile expectoratum est: aegerque etsi longam inde convalescentiam habuisset, tamen amissas vires, per apricum obambulando, imposterum omnes reparavit.

Atque talis quidem popularis iste morbus hoc tempore inter nos erat. Deinde quaeritur, quae ejus causa fuerit? Hanc alii in privato quopiam miasmate quaerere volebant: alii a tempestatum mutatione deducere eam malebant. Qui tempestatum mutationes pro popularium morborum causa admittunt, inferunt, quod, quoniam vitiata tempestas communis omnibus hominibus est, etiam ex ea, si non omnes, tamen plurimi similiter affici debeant: neque ad id ullo miasmate opus esse sustinent. Alii breviore via ad miasma recurrunt; etsi, cujus indolis id sit, statuere non possint. Ego utrasque sententias perscrutabor, dicamque qualis morbus a mutato tempestatum habitu sit, qualis a miasmate.

Valetudinem a subitanea et contraria tempestatum mutatione vitiari medicorum nemo negat. Et quod inde epidemici morbi veniant, cum Hippocrates scripsit, tum cae-

teri hucusque medici recte annotarunt. In ista vero causarum contemplatione iterum cautione opus est. Non enim a qualibet mutatione morbus fit; sed ab ea, quae contraria priorem sequitur. Neque ea tempestas, quae per breve tempus constitit et brevi iterum tempore versa in contrariam est, epidemicum morbum excitat: sed in quatuor anni tempestatum habitu quaerenda causae origo est: scilicet sunt quatuor anni tempestatibus sui cuique morbi, ex quibus alii hyemales, alii vernales, alii aestivales, alii autumnales nominantur: quorum neuter epidemicus est. Quodsi vero unum talem tempestatis habitum alter sequatur, isque adversus priori sit; tunc morbus fit, qui multos simul homines prehendit; isque epidemicus, id est, popularis appellatur. v. g. Esto hyems mollis, tepida, humida, imo putrida; sequatur eam ver amoenum, pedetentim siccescens, deinde siccum, postremo etiam infrigescens; epidemicus morbus non erit. Et contra, sequatur talem hyemem ver protinus siccum, gelidumque: excitabitur morbus, qui quamproxime plurimos homines corripiet; propterea quod prior tempestas disposuit corpora, posterior contraria afficit ea. Inde epidemicus morbus.

Nunc perquirendum est, an ubique locorum, in quibus iste Catarrhus grassatus est, idem similisque tempestatum habitus ante fuerit? Id, si ubique obtinuit, morbi causa a tempestatum mutatione jure deduci debet: si non ita obtinuit, alia quaerenda est.

Pre-

Prehendit autem in Borussiae regno morbus die nona Martii in civitate Memel, in Gumbinen: die decimo in Heilsberg, die decimo quinto Regiomonti, Insterburgi: die vigesimo primo Martii in Bartenstein: mense Aprili Berolini: *a*) initio mensis Maji Heidelbergae *b*): medio mense Majo hic Moguntiae incepit, et fine Junii nos dimisit. Est autem diversum a nostro Borussiae coelum; diversaque per quatuor istos menses tempestas utrinque erat. In Borussia morbum hyems antecessit: Juxta nos idem Vere incepit, cujus initium siccum, frigidumque erat, et mense Junio cum magno calore atque siccitate finivit. His adde, quod morbus, veluti a tempestatum vitio, non eodem tempore ubique locorum simul occupaverit; sed contra ex regno in plagam, ex plaga in urbem, ex urbe in vicum, ex vico in vicum transiverit, semper idem et ubique similis fuerit; quem neque coeli, neque tempestatum, neque corporum diversitas alteravit.

Ob quas rationes existimo, excitatum fuisse istum quidem catarrhum a privato quopiam miasmate: etsi in universum concedam, quod hominum corpora tempestatum mutatione ita alterari sicque disponi possint, ut ea imposterum apta atque idonea fiant, cum

a) Metzger libro sopra citato.
b) Schoenmezel constitut. epidem. Heidelberg.

ad recipiendum tum ad retinendum miasma. Porro nosse interest, duo esse miasmatum genera, ex quibus alterum disposita tantum corpora aggreditur, alterum pura et non disposita: horum prius epidemicos morbos constituit, si multos simul homines corripit, posterius contagiosos. Cumque istud miasma non tantum disposita post hyemis tempestatem corpora infecerit, sed et imposterum post salubre ver pura quaeque corripuerit, utique idem tanquam contagiosum haberi debet: maximeque quoniam id intra breve tempus sanos quosque prehendit.

Deinde ad rem pertinet nosse, istud miasma cujus generis fuerit. In qua item perscrutatione plus conjectura prosequimur, quam scientia comprehendimus. Ad cujus dilucidationem recordari ejus Epidemiae debemus, quae anno 1770. grassata est, et cujus mentionem in limine istius dissertationis fecimus. Igitur, comparatione facta, utriusque momenta hic considerabimus.

Itaque, quorum labia altero et tertio die exulcerata sunt, hi quamproxime a morbo sine tussi revenerunt: utique quoniam miasma adhuc crudum, si non omne, tamen plurimum ita erupit. „ Febres, in quibus ulcerantur labia, fortassis intermittentes; „ *a*) similiter, si aegri ad exitum tertii diei toto corpore multum sudabant, et sudor ipse calidus

---

a) Hipp. de morb. pop. Libro VII. Sect. 8.

lidus et viscidus erat, atque odorem fermenti panis secalini habeat: si urina simul turbida evenit et sedimentum lateri trito simile praecipitavit, protinus tussi acerba liberati sunt: alii imposterum sputum coctum, non multum facile ejecerunt. Ita coctum miasma per hos exitus critice, die impari, tertio eliminatum fuit. Solvebatur autem morbus post tres dies veluti febris tertiana post tres accessiones. Qui ob tale miasma in Pleuritidem aut Peripneumoniam inciderunt, aut asperam arteriam inflammatam acceperunt, et ad exitum quinti et septimi diei ita sudabant et tale sedimentum in urina habebant, sanati sunt, et intra convalescentiam sputa facile ejecerunt. „ Febres tertianae „ post tres, post quinque, post septem cir„ cuitus absolvuntur. „ *a*) Febres continentes post tot dies crisi terminari, post quot accessiones febres intermittentes desinunt, Sydenham recte dixit. Quibus vero aegris intra istum catarrhum tales solutiones non contigerunt; id est, qui imparibus his diebus neque ita sudabant, neque tale sedimentum in urina habebant; hi acerbe tussire continuarunt, cruda expuerunt, et longam convalescentiam maletraxerunt, et ipsis recidivis obnoxii fuerunt: perinde ac in febribus intermittentibus, quae absque solutoriis signis

a) Hipp. de morb. pop. Libro II. Sect. 3. Lib. VI. Sect. I. de Judicat. §. 4. Lib. Aphor. Sect. IV. Aph. 59. Coac. praenot. Sect. I.

cortice peruviano suppressae fuerunt. Quorum vero febres intermittentes post solutoria signa desierunt, hi recidivam non patiuntur: veluti id alibi a me satis superque demonstratum est *a*). Senex podagricus, de quo supra dixi, catarrho epidemico affectus est: cruda diu expuit, et attenuatus est; erupit deinde e pede materia podagrica, attamen tussis alleviata non est, propterea quod sudor aquosus et urina tenuis erat. Postremo sudor viscidus, glutinosus erupit, et secuta urina crassa est, quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit; inde febris finem habuit, et secutum sputum coctum est, quod facile exivit. Per talem sudorem et per talem urinam febres intermittentes, etiam quae maxime latent, dignosci posse, Sydenham dixit *b*). Febrim intermittentem, maximeque tertianam, omnium febrium principem esse, et cum qua ea, quae de crisibus antiqui medici recte reliquerunt, omnino conveniunt, Fracastorius scripsit *c*). His adde, quod aliqui ante istum catarrhum febre intermittente tertiana affecti fuerint; alii vero post eundem catarrhum in tertianam intermittentem inciderint; qui morbi alterius in alterum transitus utique significat, quod uterque unam eandemque causam agnoscat; id est, febris

ter-

---

a) In manuscripto, quod scientiarum Academia Divionensis praemio coronavit.

b) Epist. prima respons.

c) Criticorum ratione de dierum.

tertianae miasma. Deciderunt autem in istum catarrhum febrientes hi, quorum febris intermittens signa solutoria ante non habebat. Et vice versa, ex catarrho in Febrim tertianam delapsi sunt illi, quorum catarrhus absque signis solutoriis, id est absque tali urina desiit. Contra vero hi, qui tertiana ante laborabant, et ex ea in catarrhum inciderunt, imposterum febris recidivam passi non sunt, siquidem si intra eundem catarrhum impari die sudor calidus viscidusque ex universo corpore erupit, et urina sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Atque sic febris intermittens in catarrhum, catarrhus in febrim intermittentem mutabatur: id est, uterque morbus, etsi forma varius, tamen excitatus ab una eademque causa erat. Ita potest miasma febris intermittentis, prout id diversas corporis partes occupat, morbos, quos excitat, diversis larvis induere. Est enim, ut Richardus Morton dixit, febris intermittens larvatorum morborum princeps; scilicet quae sub omnium fere morborum forma latet, eorundemque genium mentitur. Ego ejus larvas, si non omnes, tamen plurimas depinxi *a*).

Huc accedit, quod hi, qui a tali catarrho evenerunt, diutius infirmi viribusque magis fracti permanserint, quam qui vulgari catarrho laborabant: et quod ipsi isti convale-

a) Observat. medic. de febribus intermittentibus Lib. II.

scentes cibos nolebant; et insudabant, quoties calidum vel cibum vel potum assumserunt: perinde ac hi, quos febris intermittens naturae beneficio et absque cortice peruviano dimisit; et in quorum corpore aliquae febris reliquiae remanserunt. Diutius vero ita maletraxerunt, qui solutoria signa non habebant.

Ita senex podagricus, de quo supra memoravi, per longum tempus aerumnose traxit, neque etiam post insultum podagricum bene habuit; sed deinde convaluit, post eaquam sudor calidus, viscidus, acidus, ex ejus corpore erupit, et urina sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Per quae item ad credendum persuadeor, quod epidemicus iste catarrhus excitatus a febris intermittentis miasmate fuerit, quemadmodum tertiana. Qua vero ratione modoque ortum in septentrione istud miasma fuerit, et a qua causa contagiosum ipsum evenerit, perquirere fugio, ne in obscura incomprehensibiliaque incidam.

Denique posset aliquis objicere, quod isti quidem catarrho epidemico, siquidem is excitatus a miasmate febris intermittentis erat, adhibito cortice peruviano obveniri debuisset. Id plausibile quidem, sed perpetuum non est. Nosse enim interest, quod febris intermittens, siquidem ea versa in continentem est vel continentis febris normam admisit, corticem non requirat; propterea quod suum miasma citius per continentem febris aestum coquatur, coctumque diebus judicatoriis (tertio, quinto, septimoque) per sudorem perque urinam turbidam e corpore

ejiciatur; et quod tunc nulla recidiva talem crisin sequatur: perinde ac febres intermittentes regulares post totidem accessiones similiter judicari consuescunt. Igitur, cum tales crises in isto catarrho contigerunt, cortice peruviano opus non erat: si non contigerunt, et febris tertiana remansit, ea imposterum cortice peruviano submovenda erat.

Quodsi autem miasma praecipuum quoddam sive in thorace sive in imo ventre viscus occupet, obque id periculum instet, debet utique protinus adhibito cortice peruviano succurri. Adde, quod catarrhus, qui anno 1770. similiter grassabatur, nullam a vulgaribus auxiliis medelam admiserit, quoties is sine crisi perstitit: admisit vero eandem a cortice peruviano.

POSITIONES

EX

PHYSIOLOGIA.

I. FOetus in utero potest deglutire.

II. Foetus in utero deglutit.

III. Foetus in utero debet deglutire.

IV. Liquor amnii nutrimentum continet, quod foetum ex parte alit.

V. Duplex igitur foetui nutrimentum venit: alterum, quod e matris sanguine accipit, alterum, quod suo ore ipse bibit.

VI. In adultorum corpore bilis, posteaquam ea in intestinis suo munere functa est, iterum digeritur, sicque perfectior facta sanguinem intrat, cui imposterum condimento est.

VII. A digesta ista bile cerumen aurium amaritudinem accipit.

VIII. Tali digestione perfectior facta matris bilis per umbilicalem venam in foetum transit. Ideoque matris umbilicalis vena venae portarum foetus inseritur.

IX. Debet foetus perfectam talem bilem a valente sua matre accipere; quoniam iners sua bilis est.

X. Acriori ista magisque perfecta matris bile foetus opus habet; scilicet, ut per eam moeconium, quod diu intestinis inesse debet, condiatur, sicque caveatur, ne idem

idem ibidem locorum cum noxa computrescat.

XI. Lac nutricum non fit in uberibus.

XII. Idem non venit proxime a cyhlo ad mammas.

XIII. Sed oritur in utero, in quo primum paratur.

EX PATHOLOGIA.

XIV. In febrium intermittentium curatione cortex peruvianus, similiter ac caetera quaeque febrifuga remedia saepe vana sunt. Utique medentis culpa.

XV. Pertinax febris intermittens est, quae constantem eandem typi horam servat: mobilior haec, quae eandem horam quomodocumque mutat, curatu facilior ea est, quae accessiones duplicat: non revertitur ea, quae, posteaquam in continentem versa fuit, ipsa desiit.

XVI. Hydrops, quoniam diversas causas agnoscit, diversa quoque auxilia requirit. Itaque vana quaecunque medicamenta hydragoga sunt.

XVII. Similiter, diversa scirrhi causa cum sit, etiam diversam scirrhus ipse medelam exigit.

XVIII. Non est igitur cicuta vulgaris omnium scirrhorum remedium specificum.

XIX. Cicuta vulgaris huic solum sive scirrho sive cancro medetur, qui ortus a tali causa est; cui specifice adversa cicuta est. Secus vanum istud remedium est.

XX.

XX. Potest quidem cicuta lymphaticarum glandularum scirrho, etiam cancro, imo in ipsis mammis mederi; siquidem ista vitia excitata a quapiam causa sint, cui cicuta medelae est. Cancro vero lacteo cicuta non medetur: ne movet quidem eundem.

XXI. Ut scirrhorum, ita cancrorum diversa causa est, diversamque medelam utrumque vitium requirit.

XXII. Cancrorum pessimus mammarum est, et privatam suam causam habet, quae hucusque medelam non admisit.

XXIII. Causa Cancri lactei in mammis non oritur, sed illuc ab alia scaturigine venit

XXIV. Mulieres steriles et virgines vetulae magis obnoxiae mammarum cancro sunt, quam mulieres quae pepererunt, minime vero hae, quae matres suam sobolem lactaverunt.

XXV. Ut febris quartana olim ante corticem peruvianum sic hodie passio hysterica medicorum scandalum est.

XXVI. Qui passionis hystericae causam alii in nimium tensis, alii in nimium laxis nervis statuunt, utrique *rixantur de lana saepe caprina*.

XXVII. Passio hysterica utplurimum cum materia est: perinde ac hypocondriaca ac atrabiliaria passio.

XXVIII. Virgines vetulae, et steriles mulieres passione hysterica magis tentantur, quam quae pepererunt. Minime omnium isti morbo obnoxiae sunt, quae suas soboles lactaverunt.

XXIX. Largum sanguinis ex utero profluvium hystericis profuit. Profuit etiam aliquod fluoris albi genus. Etiam sudor, privatum quendam odorem habens.

XXX. Insipiens mulier resipuit, quoties utero habebat. Post partum iterum dessipuit.

XXXI. ἦσι γὰρ ἡλικίῃ τὲ καὶ βιοτῇ καὶ γνώμῃ πλανωδεςέρῃ, τῇσι καὶ υστέρῃ ἐςὶ ῥεμϐώδης a)

XXXII. Viscera abdominis magnam cum caeteris corporis partibus necessitudinem habent; quae hucusque neglecta et non satis observata fuit.

XXXIII. Saepe morbo chronico febris, nonnunquam febri chronicus morbus medetur, aliquando etiam alter chronicus alterum chronicum expellit.

XXXIV. Variolarum inoculatores, pure tales, non omnes causas noscunt, propter quas variolae inoculantur. Imo ne has quidem nosse possunt.

EX MATERIA MEDICA.

XXXV. Sub quo coelo morbus est, sub eodem quoque medelam esse credibile est.

XXXVI. Etiam indigenis plantis inest virtus, febribus intermittentibus medendi.

XXXVII. A vegetabilibus medicinae plurimum, minus ab animalibus, a mineralibus minimum habetur.

XXXVIII.

---

a) Aretaeus Capadox Lib. II. acutorum Cap II.

XXXVIII. Medicamenta alterantia dicta, ut recte operentur, digeri ante debent, cruda vix ad sanguinem perveniunt.

XXXIX. Plantae quas venenatas declamant, non noxae causa, sed beneficii gratia a Deo creatae sunt. His magna virtus inest, ipsaeque recto usu salubres, abusu noxiae sunt.

XL. Nulla sunt medicamenta specifica cephalica, ophthalmica, odontalgica, pectoralia, stomachica, hepatica, splenica, hydragoga, diuretica, et menagoga, etc.

XLI. Medicamenta specifica ob rectum usum talia sunt.

XLII. Utile foret eas herbas, quibus a morbo nomen inditum est, rursum experimentis prosequi.